QVÆSTIO MEDICA.

MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS DIE IOVIS 10. IANVARII, IN SCHOLIS MEDICORVM M.

Sulpitio Rigault doctore medico, moderatore prudentissimo.

An renum calculo νεφροτομία?

RENES vitæ hominum sagax moderatrix natura iecori subiecit, quò tenuia αἱμαλώπος, quæ in eo fit, recrementa pellicerent: pellecta, vt proprium excrementum, in vesicam, quibus illa frueretur, transmitterent. Sic κύστιν, χοληδόχον, qua biliosa, ac tenui: & lienẽ, qui lutosa ac fœculenta sanguinem illuuie depuraret, corporis saluti prospiciens effinxit. A sanguine illa non secreta, aut in vasis suis coercita morbos faciunt. In quos peruicacia ferocientes, quod sæpe incassum molita est natura, eius adiutricis explere est medicinæ gloria. Vna hæc suis instructa præsidiis agendi vim κατ' ἐνέργειαν singulis obtinentibus morborũ insultus eludere est nata. Alioquin vlli vix totius corporis parti per illos securæ esse licet. Principibus exitium intentant vniuersi. Secus enim nũquam mors, morborum omnium finis. Earũ primariò impetunt alij sedem, vt phrenitis, apoplexia, lipothymia, pestis, hepatitis: secundariò tantùm alij, vt qui pleuram, pulmones, ventriculum, splenem, renes, vesicam, & partem quamlibet non principẽ primùm inuadunt. Renum actionem qui interpellant, sunt ferè diuturni: nec in senibus nisi ἐργώδως sanantur. Iis hæmorrhoïdas superuenire, bonum. Interpellat verò morborũ omne genus, putà inflammatio, diabete, phlegmone, abscessus, vlcus.

VLCVS abscessum, abscessus phlegmonem, phlegmone φλόγωσιν, φλόγωσις humorum putredinem, assumptorũ δυσκρασίαν, vehementemque motũ excipit. Solitaria hæc cerni vix potest. Calor immodicus humorem illico ad partem accersit, phlegmonemque facit retentrice, & alteratrice validis; iisdem imbecillis διαβήτην, ἄμετρον serosi humoris ex toto corpore exucti per vrinas effluxum. Ægri tum assidua siti & fastidio torquentur, viscerumque, atque adeò corporis vniuersi mordaci conflagratione. Phlegmone obsessis ingens quoque ardor est, sed vicinis ferè partibus definitus, cum extremorum refrigeratione. Dolor præterea hos in dorso grauis ac pulsans, ructus, nausea, febrisque inordinata, & inæqualis horror infestat. Vt autem febris, cæterorumque symptomatum exacerbatio cũ tumore iuxta lumbos foras prominentiore abscessus collectionem, sic huius præruptionem illorum cessatio cum pure, ramentis, sanie, vrinæ crassæ permistis, denunciat. Neque renum vlcus omne suppurationi succedere oportet. Humoris irruentis acrimonia ipsos aliàs erodit: ictus aliàs casúsve eorum venas disrumpit. Vtrimque vlcus. Hoc illud ferocius, & suppurationi succedente curatu facilius. Benignissimum id, quod attritu, aut exesu inducit à calculo intus cohibito enata obstructio.

OBSTRVCTIONEM pariunt lapsi è venis pilli, humor tenax & crassus, calculus, arenæ, vermes. Cæteris his illius causis efformandis humor iste, vndecumque originem suam repetat, apta est materia. Vermibus, si putrenti calor humidus: arenulis, si arescenti calor siccus & assans adueniat. Qui idem ex his adhæsu mutuo simul inuiscatis calculum tandem compinget. Compingendo quàm pueri, senes, viri, quàm mulieres opportuniores. Humoris eos cruditas & crassities cum calore renum lapidi reddit obnoxios. A lithyasi hinc in podagram, & ab hac in illam facilis μετάπτωσις. Compactus lapis si illic, exitu prohibitus subsistat, eius molem iugi arenularum appulsu, humoris lentore, tanquam glutine illi firmiter adhærentium, paulatim augescere est necesse. Vnde varium colorem, figuram & magnitudinem nactum, modò medium, modò vniuersum renem obturantem videri contingit. Indéque ἰσχουρία, mentis torpor, mors. E renibus in vreteras actus atrocissimum ciet dolorẽ. Illinc aut in renes illapsu negato recurrit dolore mitescente: aut vasis ponderis vi dilatatis in vesicam vario & immani cruciatu procidit. Tumque incrementum in ea ex nouo materiæ affluxu, aut in tegumentum pituita viscida incrustatus, accipiens grauiùs, quàm in renibus affligit.

VESICÆ suus quoque innascitur ex tenui sabulo illic genito, aut ex lotij ipsius colluuie ortum ducens. Vtriúsque soboles obstructio est: Obstructionis intercepta vrinę excretio, sæpiusque στραγγουρία. Cui succedens εἴλεος lethalis, nisi febre superueniente vrinæ satis effluat. Quibus in vrina tenui τὰ ψαμμώδεα subsident, his vesica aut renes calculo laborant. Candida illam, rufa hos malè habere conuincent. Ad hæc doloris circa lumbos obtusioris sensus, spinæ non indolens inflexio, cruris vicinioris stupor, testisque contractio, ructu crebro, nausea, & ἀνατροπῇ colicis etiam affectibus familiari comitata. Colicus hinc nephritici eludit specie. Alui tamen excrementa ille, renum hic, & vesicæ cohibet. Neque exquisitus vagus, ac instabilis variè excruciat, vt colicus. Mitescit hic flatus & humoris sursum, aut deorsum facta eruptione, interdumque tollitur. Nequaquam ille. Citra tamen vllius rei exclusionem quandoque vltro lenitur. Ciborum vtrique prodest parcitas. Nephritici exortum præcurrit renum imbecillium cum angustia grauitas: subsequitur vomitus post pituitosum æruginosus, mitiùs quam in colico concutiens, rariusque repetens. A labore & motu vrina αἱματώδης. Dolorem acuunt ambo: cuius acerbitas otio & in affectum latus decubitu facili demulcetur.

CAVSÆ illius tollendæ impar diæta. Pharmacię ad id, non raro Chirurgię quęrenda sunt subsidia. Proderũt itaque primùm clyster, balanus, sanguinis missio, qua corpore vniuerso ęqualiter vacuato, eius consulitur securitati. Morbis hinc ex humoribus natis, pueros etiam infestantibus, vt variolis, phymatis, amica phlebotome. Calculo in poplite facta κατ' ἴξιν amicissima. Amica quoque leniter purgantia, laxantia, refrigerantia, abstergentia, incidentia, mollientia, diuretica demum omnia, & lapillos atterentia. Veratrum etiam ipsum. Verùm hoc, vt & fortioribus rariùs, & cautiùs vtendum. Morbo enim peiora sępe progignunt ἐπιγεννήματα, calculo è renibus obturatis, inflammatis, & vlceratis in vreteris caput educto. Vnde eius citra mortem euulsionis spes est nulla, ne in chirurgia quidem. A qua vna obdurati & incrassati lapidis expectanda, per lumbos ad λαγόνας versus secto rene, curatio. Eorum vulnus, vt neque renum, haud lethale est. Ex his altero putri, exeso, vel in pus conuerso vita multis vitalis. Per lumbos verò solius naturę vi, cuius ministra ars est, apertâ viâ salubriter calculi detruduntur. Neque operosus, imò promptus ac facilis illorum est coalitus. vt pote quę partes humidę, calidę, molles, ac carnosę sint. Quibus vel incisis partibus principibus sua manet illęsa sanitas.

Ergo renum calculo νεφροτομία!

Domini Doctores disputaturi.



M. Ant. Quiquebœuf.
M. Iac. d'Amboyse med. Reg.
M. Iac. Cousinot.

M. Petr. Seguin professor Reg.
M. Ioan. de Renou.
M. Petr. Pijart.

M. Claude Bazin.
M. Henr. Blacuod.
M. Nicol. Ellain.

Defendebat ANT. ROVSSEL Ambian. 1602.